

---

---

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE,

DE

ASTHMATE SPASMODICO.

---

---



JENNY LAMEN MEDICUM

IN AVUGORALE

DE

ASTHMATE PHARMODICO

A VINDICATA

JENNY LAMEN MEDICUM  
ACADEMIE REINBURGENSIS

PROGRADU DOCTORIS

PROGRADU DOCTORIS  
FUNDATIONIS

ASTHMATE PHARMODICO  
TAM COLLEGIUM  
HABERE

ALBUM  
MUNICI



TENTAMEN MEDICUM  
INAUGURALE,

DE

ASTHMATE SPASMODICO,

QUOD

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

JOANNES CLENDINING, A. B.,

TRIN. COLL. DUB.

HIBERNUS,

SOCIET. REG. PHYSIC. EDIN.

SOCIUS HONORARIUS,

&c. &c.

Ad diem 24 Junii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

---

M,DCC,XCI.



MUSEUM HISTORICUM

1840

ALEXANDER BOND

Medicine Doctor

W. B. BOND, M.D.

Societas Regia Friburgensis

Pro GRADU DOCTORIS

In medicina

publice examinatus

JOHANNES STEINING, M.D.

1840

1840

Qualitates

Testimonium

1840

D. D. D. G. G.

1840

1840

1840

1840



Praestanti admodum viro

ALEXANDRO BOYD,

MEDICINÆ DOCTORI,

Necnon

Societatis Regiae Physicae Edinburgensae

Socio Honorario,

In comitatu Mayoensi artem Apollineam

Feliciter exercenti;

Hasce studiorum suorum primitias,

Qualesquales sint, summae observantiae

Testimonium,

D. D. D. Coyz

A U C T O R:



Præfatus admodum vir

ALEXANDRO BOYD,

Medicinis Doctori,

Section

Societatis Regiæ Physicæ Hamburgensæ

Sociæ Honorariæ,

In comitatibus Mayopi situm Apollinaria

Receptor exercens;

adversus Hæcæ fructuum virtutum primariarum

Quædamque sint summe observationes

Testimonium,

D. D. D. Cove

A U O T O R.



# TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE,

DE

## ASTHMATE SPASMODICO.

---

**C**UM ad miras, quas aër et sanguis inter respirandum mutationes subeunt, animum advertimus, plurima, non solum philosophi, sed etiam medici, attentione dignissima occurrunt. Plurima quidem experimenta nuper instituta sunt, quaedamque res novae inventae, variaeque respirationis theoriae, his rebus innixae, excogitatae sunt; haec vero omnia, quamlibet pulchra, nos parum admodum docuerunt de aëris, sanguinisque mutatione, vel hujus functionis aut



physiologia aut pathologia, ad quaedam respirationis laesae, omni theoria amota, delineanda progredimur.

Cum pulmo fabrica molli ac tenera est, et perpetuo movetur, et totam sanguinis massam, aliquam nondum satis perspectam mutationem edendi causa, recipit, cumque aëri quo ad proprietates, calorem, frigus, humorem, siccitatem, variis corpusculisque levibus diversae naturae ibi innatantibus, semper objicitur, fieri non potest quin variis morbis afficiatur. Inter omnes vero hujus visceris morbos, nullus forsitan, quam *Asthma Spasmodicum*, attentione nostra dignior est; quippe quo, etiamsi non aequè funestum sit, ac alii, qui mitiorem speciem prae se ferunt, frequentia tamen et molestia gravi, tum aegrotanti, tum adstantibus, non alius magis intolerandus sit.



## H I S T O R I A.

Magna Britannia, plagisque similibus, magis quam alibi, haec affectio frequens est; ab ea nullus corporis habitus est immunis, saepe haereditaria est, interdum vero eos, quorum parentes nunquam morbi impetum passi sunt, aggreditur; raro impuberes, nisi quibus gravis congenita sit proclivitas, adoritur; utrumque sexum, saepius autem virilem; omniaque temperamenta, sed prae caeteris sanguineum, testante clarissimo Hoffman, corripit.

Signa quaedam morbi plerumque antecedunt, horumque series, licet interdum aliquantulum varia, ordinem tamen suum non facile mutat. Noctu plerumque horam duodecimam inter et secundam matutinam, aliquando vero interdiu, paroxysmus ingruit. Asthma initio inopinantem, nullis, quibus accessio praevideri potest, signis



nis editis, subito corripit; morbi vero inveterascentis, et impetus saepius redintegrantis, recursum praenunciant molesti circa praecordia sensus, quales sunt ventriculi inflatio, ructusque crebri, praesertim post cibum e frugibus, languor, lassitudo, capitis gravitas, mens hebetior, tussicula, vel saltem ad hanc molimina; vox plus minus rauca fit; praecordia, quasi pondere quodam, opprimuntur, cum angustiae in pectore sensu; respiratio aliquantulum impeditur; manus, crura, ac pedes frigescent, nec nisi decedente accessione calorem solitum recuperant; hisce signis praegressis, morbus, vesperem versus, vel si somnus obrepserit, brevi post mediam noctem, omnes vires suas colligit: Omnia nunc signa ingravescent; spirandi difficultas adeo augetur, ut anhelus spiritum, nec tamen sine sibilo strepente, trahere, et fenestrae affidens auram frigidam, ore et naribus patulis, captare cogatur; guttur arctum, omneque ligamentum, utcunque laxum, ei intolerandum videtur, pectori vestes, vel levissimae,



viffimae, oneri funt, neque his exutis aliquid levaminis percipitur : Cottae enim moveri reculant, et hae quidem ut et humeri gravi ac molesto nifu elevantur : Thoracis cavum parum ampliatur, aër fic inſpiratus, per laryngem motus, fonum quendam, omnibus quibus morbum videre contigit bene notum, edit, fumma cum difficultate, ſonoque ſuo lentiffime denuo efflandus, adeo ut aegrotans loqui, tuſſire, aut ſternuere vix queat ; ſi vero tuſſire moliatur, quod interdum valet, tuſſis ſtridula ac rauca auditur, et poſt conatus triftes ſaepius iteratos nihil ſputi excreatur ; jam fumma anxietas angit, cor palpitat, pulſus, qui morbi initio parum mutatus eſt, debilis, celer, et inaequalis evadit, interdum intermittit, vel, ingruente ſyncope, omnino ceſſat : Oculi prominuli lachrymas, inſcio anhelò, ſponte profundunt ; vultus lividus, ſaepius vero pallidus eſt, et ſudore humectatur ; ſi morbus tandem eo gravitatis procedat, ut acceſſio quam maxime vehemens fiat, ſignis recenſitis magna accedit



accedit debilitas ; extrema praeter solitum frigent ; sopor, delirium, vel etiam animi deliquium, aegro, qui in mortis articulo versari videtur, superveniunt.

De aegroto jam actum esse imperitus colligeret ; raro vero mors accidit ; plerumque enim longa accessionum series aegrotum, ante diem supremum, laceffit ; postquam paroxysmus horas paucas perstiterit, omnia signa remittunt, aeger facilius spirat, tussit, simulque mucum tussiendo expuit, quo uberius spissiorque hic mucus est, eo citius, certiusque morbus remittit ; urina, urgente paroxysmo, limpida, et solito uberius est ; post remissionem autem usitata quantitate, et plerumque subrubra, excernitur, et sedimentum postea deponit ; jamque aegrotus, decumbendi cupidus, somni amplexibus gratissime quiescit.

Quiete reficitur, et die proximo mediocriter se habet aeger ; sed raro dyspnoea omnino vacuus est ; fugax vero est hoc levamen ; flexo enim in vesperem



vesperem die, respirandi difficultas, languor, angustiae in pectore sensus, et flatus recrudescent, jamque ingravescens cursum priori similem morbus decurrit. Accessiones hujusmodi per plures noctes plerumque redintegrantur; sed usitatus tertio, quarto, vel quinto die revertere tandem desinunt.

Initio morbi paroxysmi rari sunt; asthma enim raro impetum intra primum annum renovat; postea vero frequentiores fiunt, et postquam malum inveteraverit, intervallis adeo parvis interpositis revertitur, ut ab eo anhelus vix unquam immunis sit, et, utcunque robustus, et ad ejus effectibus obsistendum par antea fuerit, tandem aliquando, iterato saepius morbo, infirmabitur, et vel marcore et debilitate confectus, supremum diem sensim claudit, vel aliis, pro aegri habitu, morbis huic supervenientibus, quales sunt phthisis pulmonalis, hydrothorax, ascites, cordis vasorumve sanguinem vehentium aneurismus, calculus,



culus \*, icterus, e medio aufertur ; hoc modo progreditur morbus ; aliquando vero sibi non constat, signaque aliquantum mutantur, hanc quidem varietatem illorum, quippe quae neque morbi natura luminis aliquod offundat, neque, ut mihi videtur, medicinam facientibus profutura sit, missam facere judicamus ; pleraque enim fortuito eveniunt ; quapropter neque in pathologiam, neque in medendi rationem generalem, assumenda videntur.

Cadaverum incisio, magna licet solertia ac diligentia instituta, nihil nos tamen neque de morbi causa neque de natura ejus docet ; hoc enim modo effectus, causae vero non item, inveniuntur : “ Plurimae vero et certissimae observatio-  
 “ nes satis superque demonstrarunt, multorum  
 “ morborum causas neque in humoribus neque  
 “ in

\* I have observed many asthmatics to have the stone and gravel, and to die of it with a stoppage of water.—  
 Floyer, p. 177.



“ in generali corporis compage solida fitas esse,  
 “ neque ullo pacto sensibus nostris detegi posse;  
 “ nimirum quae saepe in genere nervoso lateant,  
 “ et oculorum et omnium sensuum aciem fugi-  
 “ entes, solis effectibus sese prodant \*.”

## D I A G N O S I S.

Qui morbos sanare vult, alios ab aliis distin-  
 guat oportet; nisi enim morbi natura cognita sit,  
 sana medendi ratio institui non potest; saepe au-  
 tem morbos quosdam, propter signa quibus co-  
 mitantur, similitudinem internoscere difficile est.  
 Morbi, quibus asthma confundi possit, sunt dysp-  
 noea anginosa pectoris, cynanche trachealis, hy-  
 drothorax, et asthma sympathicum.

I. Asthma et dyspnoeae quaedam species adeo  
 se mutuo simulant, ut eos dignoscere imprimis

I

B

arduum

\* Conspect. Med. Theor. Gregorii Praef. p. 51.



arduum fit; testante clar. Gregory, dyspnoea sicca et catarrhalis asthma spasmodicum aliquando comitantur, illaeque in hoc, et hoc in illas saepe mutantur. In dyspnoea vero spirandi difficultas est perpetua, cum impletionis et infarctus in pectore sensu, et tussis per totum morbi decursum frequens est; in asthma vero spirandi difficultas per intervalla subit, cum angustiae in pectore sensu, et respiratione cum sibilo strepente, et tussis sub initio paroxysmi difficilis vel nulla, finem versus libera, cum sputo mucosi saepe copioso \*: His duabus clar. Culleni definitionibus juxta positis, distinctio inter asthma et dyspnoeam plerumque patebit.

II. De angina pectoris, quam clar. Heberden descripsit, adhuc forsitan non satis constat: Hic morbus non raro hominem subito e medio tollit, sensum peculiare circa sternum princeps est signum, quo hanc affectionem inter et asthma

dig-

\* Synop. Nosol. Method. Culleni, p. 226. vol. 2.



dignoscitur; praeterea motu plerumque angina pectoris excitatur, quiete levatur, et brachium dolore afficitur. Cel. Fothergill, de hac re differens, haec verba facit: “ Quandoquidem nulla  
 “ existunt corpora duo ad amissim confimilia,  
 “ ita symptomatum varietas permagna erit; sed  
 “ in hoc morbo peculiari unum extat, quod, ut  
 “ mihi videtur, semper eum annotat clare, sci-  
 “ licet dolor iste pungens et constringens circa  
 “ praecordia, corporis exercitatione vehemen-  
 “ tiore, vel omni quod genus nervosum conci-  
 “ tat, semper accedens \*.” Omnia vero hunc morbum spectantia caligine adhuc merfa videntur, et fortasse haec signa singularia etiam asthmati spasmodico subinde superveniunt: Quapropter hanc rem in medio relinquere satius esse ducatur.

III. A cynanche tracheali fecernitur asthma, ex eo quod illa impuberes solummodo adoritur, eosque

\* Fothergill, p. 520.



eosque paucis diebus relinquit, aut opprimit, eoque quod accessiones et remissiones vel nullae aut saltem minus notabiles sunt quam in asthma; et denique ex eo quod cynanche pyrexia, et voce singulari, et tussi clangosa comitatur, et quibusdam anni tempestatibus epidemica est; dum asthma contra aetate proveciores, et plerumque adultos impetit, et nunquam epidemice grassatur, et semel aggressum vix postea decedit, sed per totum vitae decursum intervallis regrediens persistat.

IV. Ab hydrothorace dignoscitur asthma, eo quod in illo spirandi difficultas constans et perpetua est, faciei pallor, pedum oedema, et urina parca adsunt, et aeger territus expergiscitur, dum hae asthmae abesse solent.

V. Asthma symptomaticum sive hysteriae, sive podagrae, aliisque cujusvis morbi symptoma fit, non latebit medicum qui aegrotantium mores, morbos, habitumque corporis caute perpenderit.



## CAUSÆ REMOTÆ

In duas species dividendae sunt, nimirum quae homines proclives reddunt, et quae in jam proclivibus morbum excitant,

Proclivitas in hunc morbum vel a labe haereditaria, vel a congenito quodam vitio pendet, vel interdum a quibusdam viribus nocivis corpori admotis, efficitur; qualis sit natura hujus proclivitatis, quomodo a parente ad prolem transmittitur, utrum per solida an fluida expedire, praetermittimus, revera tamen transmitti observatio et experientia satis superque demonstrant.

“Laudantur simili prole puerperae.”—Hor.

Professor noster jure celeberrimus Gregorius, de temperamentis disceptans, verbis sequentibus  
 utitur :



utitur : “ Imperiosa Gens Claudia diu Romae  
 “ floruit impigra, ferox, superba, eadem illa-  
 “ chrymabilem Tiberium, tristissimum tyran-  
 “ num produxit ; tandem in immanem Caligu-  
 “ lam, et Claudium, et Agrippinam, ipsumque  
 “ demum Neronem; post sexcentos annos, desi-  
 “ tura \*.”

Etsi hujusce proclivitatis sive haereditariae, si-  
 ve congenitae, sive denique acquisitae, natura  
 exponi non possit ; quaedam tamen, quae ipsam  
 quodammodo insigunt, adnotare liceat.

Testantibus optimae fidei auctoribus, qui tem-  
 peramento sanguineo praediti sunt, saepius quam  
 alii, hoc morbo tentantur ; hic corporis status a-  
 pud quosdam mobilitas audit ; hoc autem voca-  
 bulum, etsi sermonem breviorē reddat, pro-  
 clivitatis naturam nullatenus assequi videtur.

Proximum est, ut morbi principia, sive cau-  
 sas excitantes enumeremus ; harum quidem com-  
 plures

\* Conspect. Med. Theor. vol. 1. p. 7.

plures adhuc forsitan incognitae sunt; quapropter principes et frequentissimas, rarioribus praetermissis, breviter enarrare fatis habebimus. Ab coeli mutationibus incipiendum est, quia omnium nulla videtur, quae morbum citius aut certius excitat, hic quoque consuetudinem plurimum valere conceditur; paludum accola montium aëra conqueritur; e contrario, qui vitam in locis montosis transigunt, aëra paludum ingressi asthmatis paroxysmo corripuntur; frigoris calorisque vicissitudines quam maxime ad morbum accersendum valent, praesertim si calor frigus excipiat; hinc fit, quod morbus autumno crebrius quam caeteris anni tempestatibus grassatur; clar. Hoffman frigoris vires nocivas in hoc morbo accersendo, sequenti modo memorat:

“ Si quid ex causis occasionalibus est, quod  
 “ asthma convulsivum inducere potest, certe est  
 “ externum frigus, hostis ille nervoso generi  
 “ inimicissimus, unde hyemali tempore, flantibus  
 “ ventis Aquilonibus, ingravescit malum;

“ et



“ et a frigido quoque potu exacerbatur, impri-  
 “ mis observari illos, qui pectus non bene te-  
 “ gunt, illudque frigori maxime nocturno ex-  
 “ ponunt, saepius in hoc malum incurrisse \* ;”  
 aliis aestas, aliis hyems melius convenit; inter il-  
 los Floyer, cui persuasum fuit, asthma rarius  
 hyeme, nisi praeunte catarrho, invadere. Aër  
 crassus, humidus, praesertim ingruente aut fae-  
 viente procella, plerisque hoc morbo tentatis no-  
 cere adsolet; praeterea aliis suspiriosis, alius cor-  
 poris est status, qui rebus externis iisdem faci-  
 lius varie afficitur.

Asthma lunae solisque motui quodammodo  
 conjungi, Mead aliisque olim placuit; hanc sen-  
 tentiam in medio relinquimus, observantes mor-  
 bum vere et autumno, quippe quibus tempesta-  
 tibus coeli mutationes frequentiores et magis  
 subitae sint, pro rata parte crebriorem fore.  
 Sunt praeterea aëris mutationes aliae, quales  
 sunt

\* Hoffman de asthma, tom. 3. p. 97.

sunt pulveres, fumi varii ex plumbo, hydrargyro, arsenico, sulphure, &c. &c. exorientes, fluidaque elastica aëri commixta, et odores quidam, quae aërem vitalem non continent, ideoque ad morbum ciendum valentia; cel. Bonnetus foeminam memorat, quae, locum in quo cerevisia fermentaret ingressa, paroxysmo asthmatis tentabatur subito. Cullenus virum refert, cui parva nitri dosis, etiam inscio, ore vel ano in corpus recepta, accessionem asthmatis semper accersivit; nec desunt exempla hominum, quae exigua jalappae, vel ipecacuanhae portiuncula, in auras diffusa, simili modo impetu asthmatico corripiebantur\*; hinc qui in fodinis exercentur, fabrique qui metalla tractant, asthmate prae aliis tentantur; hi enim vapores in pulmonem recepti bronchia irritant, quo fit ut respirationis organa spasmis corripiantur. Haec inter quae respirationem impediunt paroxysmum concitant, praecipuum

\* Duncan's Med. Com. vol. 4. p. 75.



cipuum locum sibi vindicant stomachi inflatio,  
 ac distentio; haec enim plerumque accessionem  
 praecedunt, et saepe ab alimentis, quantitate vel  
 qualitate peccantibus, oriuntur; constat enim  
 observationi et experientiae, cibum viscidum, five  
 ex carnibus five ex frugibus confectum, flatus,  
 pravamque concoctionem gignentem, morbo ex-  
 citando plurimum favere; eodem spectant inglu-  
 vies et ebrietas; vinum enim meracius, liquoref-  
 que e byne parati, praesertim si non probe fer-  
 mentati fuerint, morbum, testante Floyer, indu-  
 cunt, acerbioresque reddunt, et intervalla pari-  
 ter breviora faciunt. Inedia pariter eundem ef-  
 fectum praestat; haec enim omnia, vires convel-  
 lendo, debilitati pravaeque concoctioni viam  
 sternunt, et ventriculum distendendo descensui  
 septi transversi obicem ponunt, respirationem  
 turbant, et accessionem plerumque inferunt. His  
 causis annumeranda exercitatio violenta, qualif-  
 cunque demum generis sit, veluti magna lucta-  
 tio, cursus longus, Venus immodica, contem-  
 platio

platio rerum nimia ac difficilis, pervigilationes, affectus animi violenti, five excitantes five deprimentes; illorum est risus enormis, ira, &c. horum vero est metus, moestitia, terror subito illatus\*. De animi pathematibus in hoc morbo, sic pater medicinae, “ difficultate autem spirandi laborantibus clamore et praecipue iracundia abstinendum.” Huc accedunt sanguinis nimia detractio, praesertim quibus pulmo praeter modum irritabilis, excretionisque copiosiores, quippe quae corpus debilitando justo excitabilius reddunt, subita consuetudinis cujusvis mutatio, excernendorumque suppressiones, ulcera vetusta citius sanata, et quaecunque pectus comprimunt, veluti vestis foeminarum arctius nexae, denique morbi antecedentes, quales sunt hysteria, podagra, exanthemata retropulsa, vitiaque cordis, vasorumve vicinorum †; et postremo,

omnia

\* Whytt's Nervous Diseases, p. 602.

† Hoffman. Floyer.



omnia quae corpus infra aut supra sanitatis normam stimulant, morbum excitant.

Est modus in rebus, sunt certi denique fines,

Quos ultra citraque nequit consistere rectum.—HOR.

### CAUSA PROXIMA.

Et si plures asthmatis causae remotae cognitae sint, causam tamen proximam expedire minime licet; donec enim plures res verae experimentis et observatione compertae fuerint, hic nodus non solvi potest. Ne tamen hanc rem negligentia aut incuria praetermittere videamur, quasdam medicorum clarissimorum sententias citare fas

Sunt qui nimio sputo pulmonem infarciendi morbum tribuunt; haec autem opinio nullis experimentis suffulcitur; pituita enim e pulmone

non

non nisi sub finem paroxyfmi expuitur ; ideoque pro effectu, non pro causa proxima, habenda est ; neque ad paroxyfmi figna exponenda ullatenus par est talis causa, neque licet talem exiftere ponas, non dyfipnoeam potius quam afthma concitare apta videbitur ; ergo hanc fententiam refpuendam facile putamus. Alii ab ingenti fanguinis copia in pulmone, ob hujus debilitatem accumulato, morbum deducunt, et hac debilitate tanquam causa proxima pofita, plura morbi figna, qualia funt fuffocationis fensus, aëris ingreffus difficiles, fanguinis curfus quafi impeditus, &c. exponere conantur ; haec vero causa experientiae inniti non videtur ; in aliis enim debilitatis exemplis, ut in typho nonnullisque morbis quibus pulmonis vires, veluti haemoptyfi, maxime franguntur, afthma non fupervenit ; quapropter hanc causam proximam negligere cogor. Quibusdam, ut Culleno, qui nuper vixit, magni nominis, ingeniique acumine nemini fecundo, bronchiorum fpafmum afthmatis causam proxima-

mam



mam esse, placuit; et hinc omnium morbi signorum rationem reddere conati sunt. Forsitan temeritatis arguar, si tantae auctoritati aliquid, qui tyro sim, objicere audeam; veritatis tamen amore inductus, quaedam hanc sententiam infirmantia hic proferre liceat: Et primo observandum est, etiamsi talis causa existeret, quod concedere nequimus, eandem tamen ad phaenomena explicanda nullatenus valere; praeterea, bronchia minora fibris muscularibus instructa non videntur, ut cuilibet experimenta in hunc finem, ab ingenioso Fyfe et Andrea Carrick instituta, perpendiculari facile patebit. Canibus duobus rite ligatis, in utroque costas alterius lateris a sterno disjunxerunt. Dein superficiem pulmonis scalpello asperrime irritarunt; at nulla contractio, nulla molestia animali illata, exinde percipi potuit. Compluribus bronchiorum ramis majoribus dissectione postea expositis, eos secuerunt, et aliis modis irritarunt, sed ne quidem unus semet contrahebat: Haec cum aliis

similibus

similibus experimentis \* satis ostendunt, talem contractionem non esse causam proximam morbi; quippe quae neque phaenomena explicat, neque existere probatur. Aliam sententiam discipulos suos quotannis docet Professor noster clar. Monro, musculorum laryngis spasmum asthmatis causam proximam esse contendens; hanc causam revera existere experimento probavit, quod in caniculum instituit, qui jugulo, etiam leviter presso, paroxysmo asthmatis corripiebatur, similia experimenta ab aliis memorantur; haec perpendenti liquet, laryngem irritatam constrictione spasmodica interdum affici, et hunc asthmatis paroxysmum excitare; licetne ergo colligere, hunc spasmum in omni exemplo morbi esse causam proximam? Fatendum est quidem hanc laryngis constrictionem plus ad phaenomena exponenda, quam quaevis alia causa haecenus allata, valere; sed, omnibus numeris

absoluta,

\* Dissert. inaug. de Asthmate Periodico, per A. Carrick.



absoluta, non videtur; multa sunt enim signa quorum rationi reddendae impar videtur: Hac enim posita causa nullatenus explicantur dyspepsiae signa quae saepe paroxysmum antecedunt, septum pariter transversum, musculique inter costas, nec non alii respirationi inservientes, spasms non minus quam larynx affici videntur; totus enim thorax, musculique rigidi ac duri, scrobiculusque cordis constringi apparent, stragulaque vix tolerari possunt, et inspiratio difficilis evadit, et expiratio interdum inspiratione duplo productior est; cum haec ita se habeant, causam proximam in medio relinquere, aliisque felicioribus altius perscrutandam, satius esse duximus. “ Morbus  
 “ enim non est unus et simplex eventus vel mu-  
 “ tatio, qualem in rebus inanimatis contemplari  
 “ solemus, et effectum vocare; sed series, saepe  
 “ longa, talium eventuum vel mutationum, qua-  
 “ rum aliae aliis causae videntur esse \*.”

#### PROGNOSIS.

\* *Conspect. Med. Theor.* vol. 1. p. 27.

## P R O G N O S I S.

Æger tanta anxietate et dolore in paroxysmo cruciatur, sibilumque adeo horrendum edit, brachia huc illuc jactans, humerisque attollens, corde interea palpitante, animo fere deficiente, vultuque colore livido suffuso, ut astantibus mors imminere videatur; constat tamen experientiae prognosin, quòd quemlibet paroxysmum attinet, esse plerumque faustam; hic enim, ut in quibusdam aliis morbis, periculum non semper signorum gravitati respondet, aliquando tamen, rarius licet, paroxysmus est lethalis; plerumque enim morbus per longam temporis seriem intervallis revertit, donec aegrotans, accessionum vi, aliisve morbis supervenientibus, illi succumbit. Itaque, licet de cujuslibet paroxysmi eventu, bonum fere semper praesagiendum sit, de morbi



tamen progredientis exitu, malum semper praedicendum est; etsi tamen juvenem labe haereditaria aut congenita vacuum adoriatur, ne quidem hic non nisi cautissime judicandum est; morbus enim pertinax plerumque revertitur; cum autem aliquem in morbum proclivem corripuerit, ferius ocyus redibit, ut experientia constat.

“ Lethalis haeret arundo”.

## RATIO SYMPTOMATUM.

Cum haec a causa proxima, quam nos ignorare fatemur, pendeat, nemo mirabitur, nos hanc partem leviter solummodo perstringere; licet vero causa ignota sit, observandum est tamen, quaedam signa alia excitare, ideoque illa horum esse causas quasi secundarias. De unoquoque signo sigillatim differere supervacaneum foret; de paucis

paucis itaque signis, quae pro causis secundariis habemus, verba facienda sunt.

*Stomachi inflatio*, quae accessionem plerumque antecedit, videtur esse potius effectus causae proximae, qualiscunque demum haec sit, quam causa morbi: Utcunque vero haec res se habeat, respiratio cito turbatur, itaque inflatio ventriculi, licet non sit vera causa mali, ad paroxysmum tamen excitandum conferre videtur. Hoc nonnulli magno consensui ventriculum inter et reliquum corporis tribuunt; sed plurimum stomachi distentioni ascribendum; nihil enim descensui diaphragmatis magis quam hujus visceris inflatio obstat; hinc omnes ventriculo pleno minus libere spiritum trahunt; ventriculi igitur debilitas accessioni asthmaticae excitandae in proclivibus par esse videtur.

*Constrictio pectoris* consensui cum larynge a nonnullis tribuitur; sed minus recte, ut mihi videtur; qui enim morbum laryngis spasmo tribuunt, asthma morbum topicum esse tacite agnoscunt;



noscent; sed evidenter hæc est systematis totius affectio; ideoque signa habitudini locali assignare, indeque eorum rationem petere, philosophandi regulis repugnat; hinc patet laryngis spasmus esse solummodo morbi signum, non autem accessionis causam proximam.

*Anxietas, palpitatio, et vultus livor,* cursui sanguinis per pulmonem impedito non ita pridem tribuebantur; sed aliorum animantium, quibus inter respirandum pulmo vix moveatur, analogia, et experimenta pariter nupera, huic sententiae adversantur; constat enim experientiae sanguinem pari fere facilitate per pulmonem distentum vel collapsum transire; hæc signa aliam igitur rationem sibi vindicant; et primo cel. Priestley experimento probavit sanguinem jam nigrum aëris vitalis tactu colorem floridum ac rubrum inducere. Hic philosophus egregius hanc mutationem, etiamsi vena sanguinem inter et aërem interponeretur, evenire comperit, indeque theoriam suam pulchram de usu respiratio-

nis colligit; postea Dr Goodwin aliique in Gallia plurima in viva animalia experimenta eodem redeuntia instituerunt. Haec omnia, etsi quaedam exinde parum accurata, coniectaria deducantur theoriam Priestleianam satis confirmant; dehinc enim patet signa supra memorata aëri deficienti, aut vitiato, esse referenda; in asthma enim, propter laryngis aliorumque muscutorum respirationi inservientium ipsimum, aëris satis ad colorem floridum et vividum, viresque stimulatrices sanguini impertiendo, intrare nequit: Hinc cor palpitat, pectus fit anxium, et facies livet. Huc pertinet quod Professor noster celeb. ait, “ Postremo, sanguinis cursus neque per pulmo-  
 “ nes, neque sane per reliquum corpus, ne qui-  
 “ dem per ipsius cordis latus sinistrum, fieri po-  
 “ test sine respiratione \* :” Et evidenter respira-  
 tio naud perfici potest sine aëris quantitate suffi-  
 cienti.

*Respiratio*

\* Conspect. Greg. p. 237. vol. 3.



*Respiratio lenta* laryngis constrictioni imputanda, et hanc pro angustiae gradu lentio rem fore patet; eandem causam sibilum strepentem agnoscere, cuilibet, qui sonorum theoriam intelligit, affatim constat.

“ Tussis sub initio paroxysmi difficilis aut nulla, versus finem libera, cum sputo mucosi saepe copioso;” hinc bronchia spasmo constringi colligitur. Hoc vero, supradictis perpensis, verisimile non videtur; initio enim paroxysmi mucus adesse non videtur, et postea, cum adsit, anhelus tussire nequit; vel si hoc aliquando fit, (quod tamen rarius evenit) colligere fas est, mucum tunc in profundioribus bronchiis coacervatum tussiendo vires eludere; at, sub finem paroxysmi, larynx, quae antea sicca et contracta fuisset, humorem liberius profundit, quo stimulado, tussim validam bronchiis emulgendis aptam concitat; itaque tandem ejicitur mucus.

“ *Per intervalla revertens:*” Quod intervalla spectat, hoc causis excitantibus minori majoreve

vi ac frequentia agentibus pendere videtur; huc pariter accedit vis consuetudinis, quae mirum in corpora animata imperium exercet. Hinc patet quam inconsulto agunt, qui asthmatis signa quilibet causa proxima haecenus in medium allata explicare conantur: Qualiscunque enim fit causa proxima, quam me ignorare fateor, omnia rite perpendenti patebit, signa asthmatis se invicem serie quadam continuata excitare, proindeque nulla singulari causa explicari posse; vultus enim livor certe non ex eadem qua laryngis spasmus causa pendet; et hoc verum est de caeteris quae hunc morbum comitantur.

## RATIO MEDENDI.

Morbus hicce, vel ob naturam suam, vel ob medendi artem nondum satis intellectam, radicatus curari nequit; quapropter ad morbum levandum

dum



dum solummodo medicus se accingat oportet, quod duobus consiliis sequentibus quodammodo fieri potest.

- I. Paroxysmum quamprimum solvere.
- II. Recursui, quantum fieri potest, occurrere.

Priore consilio ad medicamenta varia medici confugerunt, de quibus pauca sigillatim; et primo tractanda sunt

*Evacuantia*, quorum princeps est sanguinis extractio; hoc vero remedium cautissime adhibendum; si aegrotans sit juvenis, plenus, ac robustus, et praesertim si in apoplexiam proclivis videatur, tunc quidem sanguinem statim mittere oportet; hoc modo forsitan unus aut alter paroxysmus solvi poterit; vena jugulari secta, signa promptissime levabuntur; sed hoc, quo saepius adhibeatur, eo minus votis nostris respondebit, et spes nostras demum fallit. Praeterea, quod corpus infirmando hydropi opportunum reddit, quod super hoc remedio attuli, mihi cum clar.

Culleno, Millar \*, et Floyer †, convenit; huic vero rei finem imponemus citando, si iterum liceat; verba clar. Professoris, “Semper quoque  
 “ memoria tenendum est, tantam saepe quasi  
 “ puncto temporis ab intempestiva sanguinis de-  
 “ tractione corpori inferri perniciem, quantam  
 “ neque optimi medici peritia, neque omnia  
 “ medicinae subsidia, postea compensare potue-  
 “ rint. Sanguis enim semel missus nunquam in  
 “ venas redit; sic neque vires cum illo amissae  
 “ in variis morbis unquam refici possunt ‡.”

*Emetica*, varias ob causas, a medicis laudan-  
 tur, sic ratiocinantibus, cum ventriculi distentio,  
 aliaque dyspepsiae signa paroxysmum saepe ante-  
 cedunt et excitant; vomitio itaque cienda est;

I

E

fed

\* Millar on the asthma, p. 42.

† This very little relieves the old asthmatic, and ought not to be practised upon common fits, but only in great extremities.—Floyer, p. 120.

‡ Conspect. Med. Theor. vol. 2. p. 463.



sed in his pariter modus servandus est; vomitio enim saepe repetita ventriculum infirmit, et hoc modo morbi recursum favebit; sed prudenter praescripta saepe profunt emetica, ut experientiae constat; genus enim nervosum ita concutunt, ut spasmos potenter solvant et arceant; ingruente itaque paroxysmo, ipecacuanha, utpote tutissima, aliis forsitan medicamentis vomitoriis anteferenda est.

*Expectorantia*, ut a scriptoribus de materia medica nominata sunt, vel uti praeparata Scillae varia, gummi ammoniacum, glycyrrhiza, balsama, &c. a plerisque medicis ad sputa promovenda, adhibita fuerunt; sed plerumque frustra. Horum omnium Scilla efficacissima est; sed haec etiam potestatem specificam in expectoratione cienda minime habere videtur, et igitur tantum valere quantum nauseam concitat.

*Cathartica*, quippe quae anhelis vigorem convellant, plerumque obsunt; ideoque rarissime praecipienda sunt, praesertim cum, teste clar.

Culleno, fufpiriofi infolentius plenitudine laborant, et medicamenta hoc genus fanguinem pulmonis non recta imminuant; quod firmare liceat auctoritate Hoffmanni dicentis, “Purgantia acriora, nec non emetica draftica, cane pejus et angue, in hoc affectu, fugienda funt; quippe qui genus nervofum magis ad fpafmos difponunt\*.” At cum alvi durities, aegro femper nociva; morbum frequenter adaugeat, emollientibus et enematis repetitis eam fedulo evitare oportet.

*Veficatoria*, fi quando paroxyfmi funt praeter folitum contumaces, non fine quodam levamine applicari poffunt; prodeffe tamen videntur, eo quod ftimulant magis quam plenitudinem imminuant; ideoque, cum tardius operentur, doloremque et moleftiam aegrotanti faceffant, ab ipforum ufu, nifi in gravidioribus exemplis temperandum forfitan videatur; fi vero unquam  
 prudenti

\* Hoffman, tom. 3. p. 99.



prudenti medico ad illa confugiendum fit, quo propius laryngi applicentur, eo plus, ut credo, proderunt.

*Antispasmodica*, qualiscunque demum fit ipforum operandi modus, cum systema potenter stimulant, junioribus, praesertim si diathesis phlogistica aut nimia plenitudo adsit, caute praescribenda sunt; si vero haec absint, plurimum auxilii ferent, tum ad signa levanda, tum ad paroxysmum solvendum; hujusmodi remedia, quae maxime valent, sunt camphora, moschus, asafoetida, flores cardaminis, castoreum, opium, et aether vitriolicus. *Camphora* ad spasmos, et praecipue asthma, valere dicitur: Forma liquida citius effectus ejus eduntur. *Moschus* adversus spasmos efficax est, et plurimum a sagace Millar \* laudatur, cum forma julepi et clysmatis ingessit; ore assumptus signa saepe levavit, et ventriculi distentionem saepe sustulit. *Castoreum*

\* Millar supra cit. p. 38.

reum videtur esse medicamentum iners\*, quo nunc dierum rarius utuntur medici. *Asafoetida* semper in usu est; quid vero levaminis afferat, nescio; fieri potest ut forma clysmatis satis magna quantitate injecta plus proderit. Medici autem opio et aetheri vitriolico maximam fiduciam habent; hic, propter celeritatem qua spasmos solvit flatumque dispergit, insignis est, et asthmaticis plerisque est gratus; sed dosis quam medici proferre solent nimis exigua est; ab initio etiam a drachma ad drachmas duas, decuplo aquae commixta, praescribenda videtur, et subinde repetenda donec paroxysmus aut levetur, aut penitus cesset. Circumforaneus quidam ad unciam usque dosin augere, scintillam ictumque electricum magno plurium aegrorum levamine adhibere fertur. Aether pariter faucibus externe lintei ope admotus bonos effectus edere dicitur; hoc medicamentum idonea dosi datum omnibus

\* Home's Clinical Experiments, p. 197.



nibus aliis, premente paroxysmo, forsitan anteferendum; nam inflationem ventriculi tollit, et fere semper levamen adfert. *Opii* vires, omnibus adeo cognitae sunt, ut laudes ejus supervacaneas habeam; sed libera manu adhiberi debet, alioquin parum proficiemus. Cum *opii* effectus non adeo sint fugaces aetheri forsitan antecellit; et paucas horas ante paroxysmi reversionem ingestum, dicitur vel efficere ut non omnino vel saltem serius recurrat, vel, si redeat, signa plurimum levare; si vero morbus quid inflammationis aut plenitudinis habeat, quod rarissime nisi initio, idque juvenibus accidit, cautissime praecipendum est.

Observandum est autem, nullum remedium prodesse, sine *aëris puri* et frigidi usu; et vix dubitandum videtur, quin *aër vitalis*, si copia idonea adhiberi posset, plurimum non solum ad paroxysmum solvendum, sed etiam ad signa levanda valeret; nonne vultus livor, quod *aëris vitalis* defectu pendere probatur, hoc verisimile reddit?

reddit? valde me piget mihi occasionem hoc remedium tentandi nondum se obtulisse.

Paucis ex praecipuis quibus paroxysmus solvatur remediis jam memoratis, proximum est, ut quomodo venturus quam diutissime arceatur dicamus.

#### CONSILIUM SECUNDUM

Perficitur medicamentis, et regimine idoneo; cum morbus e congenita quadam proclivitate pendeat, ad quam tollendam ars nostra non valet; idcirco omnes causae excitantes aegrotanti summa cura vitandae sunt, quod ex illorum cognitione fieri potest, earum praecipue ex historia morbi cognoscuntur, ut diaeta lautior, exercitatio violenta, nimia, frigus intensius, vaporesque varii; omnes vero numerare nemo potest, cum sint fere innumerae, pluresque nondum cognoscantur; sed aegrotans eas quibus objiciatur observatione

servatione



fervatione inveniet, inventasque plerumque evitare poterit; haec observata impediunt quo minus malum ad aliquod tempus redeat, praesertim si proclivitas in morbum non sit magna, his vero auxiliis adjicienda sunt,

Roborantia, quae ad morbum arcendum sine dubio utilia sunt, proclivitatem enim quodammodo corrigent, praecipua videntur esse sequentia.

*Cortex Peruvianus*, cujus vires roborantes omnibus adeo notae sunt, ut de ipsis differere superfluum videretur, huic remedio potissimum fidendum est; sed diu et magna quantitate ingerendus est; in hoc vero morbo, quippe inter medicorum opprobria adnumerandus sit, minime mirandum est, si votis non saepe respondeat; alia itaque auxilia simul adjicienda, qualia sunt, *balneum frigidum*, quo ad debilitatem, laxitatem, et mobilitatem, quae sunt morbi pars forsitan et comites, nihil praestantius; cum vero hoc omnibus non conveniat, prudentia opus est, ut

recte

recte praescribatur ; his auxilium feret, et semper necessaria erit justa, tum corporis tum animi *exercitatio*, praesertim sub diö ; equitatione nulla exercitationis species magis profuit ; si equitatio non conveniat, curriculo aut navi potest devehì ; quanta sint exercitationis commoda, hinc patet, quod pauperes, qui se fortiter exercendo victum quaesitare coguntur, rarius, prae divitibus, otio ac luxui perditì deditis, asthmate laborant. *Exercitatio animi* non minus quam corporis necessaria est ; hinc eximia peregrinationis beneficia ; dum corpus enim motu exercetur, mens rerum novitate percussa mira voluptate afficitur ; animi enim affectus, ut amor, gaudium, laetitia, spes, ira, metus, moestitia, &c. sunt plurimorum morborum et remedia et causae ; ideoque omnia quae animum supra modum efferant aut deprimant, cautissime vitanda sunt. Diaeta idonea maxime prodest, quin et plus forsitan, quam omnia medicamenta contra asthma pollet ; qua-



propter suspiriosum animum in hanc rem advertat necesse est; diaeta parca et tenuis junioribus plerumque convenit; sed victus lautior senibus, quippe quibus vires morbo jam proveciore aliquantum convellantur, accommodatus videtur; cibus ex carnibus maxima ex parte constare debet; quippe qui concoctu facilior est, quam is e frumentis, pleribus, leguminibusque fere omnino praeparatus; hic enim cibus durus et concoctu difficilis flatum gignit, ventriculumque distendit, infirmit, et acore torquet; semper autem meminisse debet, diaetam plenam, lautam, et opiperam, omnibus fere suspiriosis nocere. Ebrietas omnibus nocet; vinum autem generosum modice subinde haurire, et licet, et prodest. Cerevisia, et liquores spirituosus, ut vocantur, caute vitanda sunt; thea et coffea immodice hausta semper obsunt; sed modice ingesta forsitan profunt, praesertim coffea, quae plurimum contra asthma valere fertur; his vero suspiriosus, prout

fibi

fibi obeſſe vel prodeſſe comperiet, uti debebit;  
Denique, aegrotans ſecum reputare debet, quae-  
nam paroxyſmum fere excitant, haecque ſumma  
cura vitet.

**F I N I S.**











